

WS 1764

13

PRAELECTIONES ACADEMICAS

LABORIS HIBERNI
PVBLICI PRIVATIQUE MATERIAM

R E C T O R

O. HERMANNVS

B E N N E R

VNA CVM VNIVERSO
SENATV ACADEMICO

INDICIT

EASQUE SEDVLITATI


C I V I V M A C A D E M I A E

TAM GENERE QVAM VIRTUTE NOBILISSIMORVM

RITE COMMENDAT

P. P. IX. SEPTBR. MDCCLXIII.

SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI



G I S S A E,
EX OFFICINA BRAVNIANA.

MADE IN U.S.A.

FOR THE

OF HERMAN

REINER

ORIGINAL DESIGN

COLLEGE OF VETERINARY

AND

OF THE

AND

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE

OF THE



In Facultate Theologica.

D. REINH. HENR. ROLLIUS,

Academiae Senior.

Historiam ecclesiasticam seculi XVI. & XVII. futuris theologis cognitu maxime necessariam, quam vastis voluminibus tradiderunt viri celeberrimi, quoad seculum quidem decimum sextum *Lucas Osiander*, quoad decimum septimum vero *Jo. Wolffgangus Jagerus* & *Andreas Carolus*, in nervum contractam, publicis sectionibus præterlapso semestri exponere cœpit. Eandem in posterum Deo juvante continuabit, operam daturus, ut hoc ipso, quod nunc ingredimur, semestri ad finem illa feliciter perducatur. Privatim viri summi, *Jo. Febrü*, selectiorum ex universa Theologia controversiarum, recentiorum præcipue, Syllogem, numquam satis laudandam, denuo explicabit, & exercitium disputatorium separatis quibusdam horis in eandem instituet.

D.



D. IO. HERM. BENNER

Notitiae salutis partem primam per menses aestiuos exposuit. Pars altera nunc prelum reliquit, quam tertia proxime sequetur. Vtramque hibernis lectionibus absoluet. Addet, diuersis horis, iurisprudentiam sacram, obseruatis vbique viribus gratiae, ad obedientiam legibus naturae, ac praeceptis euangelicis, (quae partem minorem huius scientiae constituunt) praestandam. Et, ne studium sacri codicis frigescat, dicta, quae vocant, probantia singulari hora cupientibus explicabit.

D. IO. STEPH. MÜLLER

*Non deferit duces, quos in dogmaticis atque moralibus hucusque est sequutus. Quemadmodum hucusque Numen supremum bene vertit, quum dogmatica secundum Cel. GVNNERVM, moralia vero secundum praecepta, quae ipse iuris publici fecerat, suis auditoribus diligenter & adcurate traderet; sic etiam per hoc semestre, quod instat, hibernum, ducibus istis, dogmatica atque moralia docebit. Ita autem illa docuit hucusque, ut, qui interfuit ipsius praeceptis & institutionibus, ille supersedere polemicis horis potuerit. Utque commissiones nostri praeceptis Theologorum sic instruantur, ut aliis etiam catechetice tradere ea possint, quae in academia didicerunt, idque peragere, quod munus futurum inprimis postulat ab illis, Jo. Christ. KOECHERI *Einleitung in die Catechetische Theologie* simul interpretabitur. Haec in horis, quae priuatae vo-*
can-



cantur. *Publice vero sic perget in Introductione in Theologiam veuelatam, quemadmodum ille, sub cuius prelo sunt praecepta, ipsum adiuuabit.*

In Facultate Iuridica.

D. FRANCISCVS IVSTVS
KORTHOLT

Ius publicum, Germanicum priuatum, & feudale iisdem, quibus hucusque vsus est, ducibus, SCHMAVSSIO, SELCHOVIO & MASCOVIO, exponet. Vsum quoque forenssem, praecipue summorum imperii tribunalium, addiscere cupientibus operam suam offert.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH

h. a. Decanus.

Ius Naturae & Gentium, Institutiones iuris civilis, Pandectas & Ius canonicum vna cum iure ecclesiastico Protestantium docebit. Nec in aliis iurisprudentiae partibus operam suam desiderari patietur. Separatam in quavis septimana horam examiniibus & disputationibus destinabit.

In Facultate Medica.

D. GEORG. LVD. ALEFELD.

Instans semestre brumale lectionibus diaeteticis & semiologicis destinabit, tempus vero ab his vacuum laboribus anatomo-



anatomicis impendet. Collegium quoque examinatorium, si desiderabitur, offert.

In Facultate Philosophica.

ERNESTVS THOM,

Prof. philosoph. pract.

Perget in exponendis institutionibus iuris naturæ Wolfii. Easdem denuo interpretabitur, vel in locum earum, si auditoribus placet, institutiones iuris naturalis Thümmigii, quarum explicatio sex mensium spatio absolui potest, substituet. Huius etiam philosophiam moralem ac politicam explanabit, & Dithmari partes oeconomiae vniuersae illustrabit.

ANDREAS BOEHM,

Log. Met. & Math. P. P. O. Bibl. acad. Praef.

Praelectionibus logicis, metaphysicis & mathematicis tempore & more consuetis vacabit. Bibliothecas publicas diebus Saturni horis pomeridianis aperiet.

D. LVD. GOD. MOGEN,

Historiarum Professor.

Historiam Statuum Europae, duce ACHENWALLO, ad secundam editionem libri: *Geschichte der heutigen vornehmsten Europaeischen Staaten im Grundriß*, dicti; historiam



riam Imperii Romano - Germanici, praeunte SCHMAVS-
SIO, & historiam iuris vniuersi, duce KOPPIO, docebit,
horis e valvis publicis tempestive indicandis. Offert prae-
terea collegium in HEINECCII *syntagma antiquitatum Ro-
manarum*, *iurisprudentiam illustrantium*.

IO. GEORG. BECHTOLD,

*utriusque eloq. Prof. P. O. alumnorumque principalium
Ephorus.*

Semestri aestiuo lectiones in *artem oratoriam* incepit, qua-
rum ille telam hoc semestri hiberno pertexer. Com-
mentationem de *stilo*, duce HEINECCIO ad finem perdu-
ctam, de integro inchoabit. Scholas *exercitiorum oratoria-
rum*, si auditorum responderit diligentia, instituet. Dispu-
tationes priuatas in *theologiam naturalem* continuabit. Publi-
ce *Horatii L. I. carminum* ita dissertationibus suis perpetuis
illustrare perget, vt non tantum dictionis poeticae singula-
ria vbique obseruet, artificiumque poeticum indicet, sed
&, quae ad res ipsas spectant, breuiter attingat, monitu-
rus, vbi notanda ac excerpenda quaedam occurrunt. Pri-
uatissimis quoque collegiis auditorum suorum studiis mini-
me deerit.

D. GEORG. LVD. ALEFELD.

Philosophiam naturalem de nouo inchoabit, & eam histo-
riae naturalis partem, quae mineralia considerat, ex-
plicabit.

IOH.



IOH. GEORG. HOFMANN,

LL. OO. P. P. O.

Vt officio clementissime sibi demandato satisficiat, publice principia hebraicae linguae ad ductum *Grammaticae Danzianae* ita trader, ut non regulas solum, sed & analyseos praxin, clarissime demonstrat. Priuatim iis, qui rudimenta Grammatices iam superarunt, Syntaxeos explicandae gratia, *libros Samuelis* praeleget; *collegia* deinde philologica in libros Veteris & Noui Testamenti offert: nec iis deerit, qui profanos Graeciae scriptores legere, aut priuatissimam ad linguas sacras manuductionem desiderabunt. Horas hisce lectionibus destinatas suo loco indicabit. Benedicat incipitis Deus!

Praeter ista, Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de luculenta *equitandi*, *pugnandi gladio*, *saltandique palaestra Gallicae* item & *Italicae* linguae scholis, per magistros earum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

